

**Dissertatio inauguralis medica : de vestimentis ut causis morborum ... /  
auctor Cristophor. Guilelm. Kaminsky.**

**Contributors**

Kaminsky, Christoph Wilhelm.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Joannis Friderici Starckii, 1817.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/csnxsgtj>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

8.  
DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA

DE

VESTIMENTIS  
UT CAUSIS MORBORUM

QUAM

CUM CONSENSU GRATIOSI  
MEDICORUM ORDINIS

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE ADSEQUENDIS

DIE XIV. M. JUNII MDCCCXVII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

*CRISTOPHOR. GUILIELM. KAMINSKY*

VERDENSIS,

---

BEROLINI

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

DISSELTATIO

IN AURIBUS MEDICIS

DE

VESTIMENTIS

UT CAUSIS MORBORUM

DE

CUM CONSENSU GRATIO

MEDICORUM ORDINIS

PRO

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORANDIS

IN AURIBUS MEDICIS

DIE XIV. M. JUNII MDCCXXVII

LEONARDO DE KNEBEL

AURIBUS

CHRISTOPH. GUILL. KAMLER

LEONARDO

BEROLINI

THOMAS FRIDERICUS STABORNI

VIRO  
EXPERIENTISSIMO CLARISSIMO  
REVERENDISSIMO  
MART. CHR. KAMINSKY

MEDICO PRACTICO SUNDENSI

PATRUO SUO DILECTISSIMO

HOCCE ACADEMICUM OPUSCULUM

SUMMA CUM REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

VINO

EXPERIENTISSIMO CLARISSIMO  
REVERENDISSIMO

MARTE, CHR. KAMINSKY

MEDICO PRACICO RUSSE

PATRIS SUO DIRECTISSIMO

HOCCAE ACADEMIAE OPUSCULUM

EMISSA COM REVERENTIA

MDCCCLXXXIII

ACTOR

*Tibi, patruæ dilectissime, hasce literarum primitias dicare sum ausus; nullus enim est, cui majori debeantur jure. Nam a teneris patre Te sum usus omnique arte et literis me instituendum curasti, Tuaque sola benignitate et munificentia mihi contigit, ut scientiæ medicæ studium et aggredi et absolvere potuerim. Nihil est, quo major me afficiat lætitia, quam quod denique mihi licuit, gratum meum erga Te animum pro omnibus his, quæ semper in me cumulasti, beneficiis, declarare*

posse. Quare, ut hocce exiguum pietatis  
documentum benigniter accipias, te rogo. A  
Deo autem Optimo Maximo, ut diu incolu-  
men Te servet, et laetam felicemque Tibi fortu-  
net senectutem, supplex precor.

---

## *S e c t i o I.*

### *De vestimentis corpori non convenientibus in genere.*

**M**iramur saepe in hominibus morbos cum morbis mutari, corpora bene formata fieri informia, tantam hominum debiliū copiam miserimam sibi que ipsis molestissimam vitam degere; convertimus nos ad majores nostros fortes et validos, quorum nepotes debiles atque invalidos conspicimus, rudibusque atque incultis veterum temporum moribus sanitatis originem adscribimus; quae autem dum observamus, multiplices debilitatis causas a luxuria, majoribus nostris aliena, originem trahentes plane negligimus. De multiplicibus morborum causis, a tot perniciosis et pestiferis consuetudinibus, a variis et exitiosis voluptatibus delectationibusque oriundis, hic taciturus, eas tantummodo exponendi in animo mihi



est, quae in vitiosis vestimentis consistunt. Nostris temporibus, quibus quotidie fere vestes mutantur, et quaelibet earum aliud atque novum damnum adfert, quod vel celeri commutatione, cui corpus nondum adsuetum est, vel vestium genere ipso oritur, multos eosque maximos morbos nasci naturae admodum congruum est. In quibusdam nationibus mos obtinuit, arctarum vestium tegmine, quoad fieri potest, omnes corporis artus exprimendi; et ut corpus ipsum perfectius reddatur, quam natura est, stultissime id corporis arcte comprimitur, quod deformius, et id corporis arte suppletur, quod incultius est. Quem vestiendi modum, feminis proprium, licet viros imitari vix ullus fere credat, attamen permagnam eorum copiam ambitio secum trahit, ut corporis pulchritudinem naturae contrariam producant.

Libere corpus nascitur, quod optime majores nostri intellexerunt, veste soluta corpus induentes, cujus excolendi facultas hoc modo minime tollitur, immo augetur. Temporis tantummodo mores perditum a simplice hoc et naturae conveniente vestimento abhorreere poterant, ubi quilibet id solum, quod suo tempore vulgo probatur et placet excolere studet; ubi morum rigor, sive, ut dicunt, cultura omne liberum atque solutum cum natura

expellit. Hodie quoque nationes istas si spectes, quarum corpus nullis vestium vinculis concluditur, quam fortes et validae sint haud ignores. Corpus arctis vestibus ut prelo inclusum impeditur, quo minus crescat, atque excolatur, in perpetuum debile et invalidum, morbisque maxime obnoxium manet, immo morbi gravissimi inde oriuntur. Sanguis haeret, ideoque a peripheria ad centrum manat, ubi vasa sanguini affluentia contra naturam nimis parva et angusta, tunicaeque venarum parvarum nimis tenues sunt ad sanguinem urgentem sustinendum. Oritur inde congestio et evacuatio, qua de re plethora et haemorrhagiae modo adparent. Et affluxu sanguinis ad partes interiores et arcto corporis vinculo, praecipue thoracis, quo respiratio libere procedere nequit, oritur anxietas, asthma, immo et inflammatio variarum partium, et apoplexia, quoniam sanguis versus caput adfluens libere remanere prohibetur. Musculorum et ligamentorum rigor primum omnium arctis vestium vinculis oritur, nec minus nervi vim suam libere exserere possunt. Multo tamen nocentius, multo perniciosius est, si non omnes corporis partes simul, sed singulae tantum comprimuntur. Hic omnium fere partium consensus finitur, oriturque verus dissensus; in par-

tibus pressis nervorum functio hebetatur, vasorum sanguiferorum functio opprimitur, dum in partibus solutis sine impedimento procedit, ut paucis dicam, omne corpus penitus debile redditur, parte soluta crescente, vincta autem decrescente; illic humores omnes haerent, nascuntur accumulationes aquae et inflammationes; quot in hominibus hic natura, quam artibus emendare volunt, nondum finem assecuta certamini succumbit! nam corpus, quod bene formatum volebant, debile et invalidum redditur.

## *S e c t i o* II.

### *De vestibus mulierum nocentibus.*

Strophia (Schnürbrüste, Schürmieder), quae nunc temporis gestantur, scilicet ut non solum corpus recte sustineatur, sed etiam ut corpori habitus formosus et gracilis detur, maximi damni sunt, corpus enim adeo comprimitur, ut sanitati noceatur. Ratio autem, qua corpus comprimitur, maximi momenti est:

- a. quoad ossium structuram, praecipue hominum nondum aduitorum; costae nempe comprimuntur, et desinunt crescere, ideoque cavum thoracis minuitur. Crescentibus vero thora-

cis visceribus spatium coangustatum maximo impedimento est, quare organorum respirationis extensione impedita asthma, dolor et angor oriuntur. Simul etiam sternum in mediastinum anterius premitur, eoque ipso modo thorax coarctatur, atque huic malo momentum occasionale affert. Comprimuntur etiam ossa pelvis, et os pubis et vertebra eminens, quomodo linea conjugata minuitur, et in edendo partu transitus capitis valde praegravatur. Premuntur insuper ossa innominata, quo linea transversa pelvis superioris admodum comminuitur.

b. permagnam vim pressura strophiorum exercet quoad systema sanguiferum et musculare. Exteriora corporis vasa comprimuntur, affluxus et refluxus sanguinis liber turbatur et sanguine ad partes interiores manante oritur, ut jam supra dixi, plethora, haemorrhagia, et congestione ipsius ad pulmones inflammatio, quae demum in phthisin transit. Corpus nutririque nequit, tenue et rigidum fit, dum extremitates crescunt.

c. permagno damno strophia systemati digestionis sunt. Ventriculus haud bene digerit, et strophiorum pressura sensibilior redditur, ita

ut nunquam non cardialgia oriatur. Spleni et lieni maximum affertur detrimentum, ita ut inflammatio, morbi biliosi, et in liene intumescencia inde nascantur.

d. inflammationes topicae oriri possunt, ut in mammis, facillime in scirrhum et cancerem transeuntes, ubi tandem extirpationem fieri necesse est. Comprimuntur praeterea papillae mammarum, ita ut mulieres infantibus nutrimenta mammis dare nequeant.

e. nervi etiam strophiiis prementibus valde afficiuntur, ut supra jam dixi.

Multo majoris damni strophia in puellis nondum adultis sunt, in corpore nondum adulto sanitatem omnem turbantia et corpus debile reddentia.

Nonnullis nationibus et inferiori quidem ordini mos est, plures et quidem aliam super aliam, aut multifariam plicatas e panneo vestes gestandi, quae super ossa ilei parvo in pulvinari suspenduntur, quo quidem damnosissimo vestimento ossa ilei propter tantum pondus vicissim remouentur, majorque pelvis diameter dilatatur, abortuique disponitur. Cui etiam accedit, quod illud vestimentum molles corporis partes, praecipue intestina, nec non in gravidis uterum magnopere

comprimat. Eodem hoc pressu digestio quoque impeditur, nec parvi est in gignendis herniis momenti, quippe cum intestina pressa omni vi in inferiorem pelvis partem urgeantur, ubi minime ipsorum cursui resistitur.

Calcei nimis angusti valetudini valde nocent, non solum enim homo ingenti dolore saepius iis cruciatur, verum etiam claripedes et anchylosis oriuntur. Necesse est igitur, si bene apta pedique accommodata calceamenta habere cupias, sui quisque pedis formam gerat. Nec minus nocet, postica parte nimis altos calceos gestare, quod major pelvis in anterius, minor vero in posterius proclinatur, eoque partui edendo ingens affertur molestia. Ocreae chirothecaeque pelliceae valetudini aequae detrimento sunt.

Nimis arcta tibialium vincula sanguinis circulum prohibent, in superiori arteriarum parte, quarum tunicae extenduntur, fit haesitatio, eoque modo aneurismata nascuntur. Humoribus vero lymphaticis infra vincturam haesitantibus et resorptione nimis tenui pedum oedemati ansa datur.

Monilia ex incognitorum hominum capillis texta jam saepius ulcera conspectasque in collo pustulas genuerunt.

Vela floribus intextis gestandi mos quoque est, praesertimque superioris ordinis feminae hisce utuntur, quid damni oculis, praecipue debilibus, hoc adferat, ignarae. Inaequalis inde fit luminis divisio videndique facultas interrupta debilitatur. Nigri coloris vela aestate maxime inutilia; tantum enim abest, ut in solis radiis rejiciendis, quem potissimum in usum adhibentur, operam navent, ut potius eos excipiant, cutemque nigro colore magis deforment, ac si omnino deessent.

### *Sectio III.*

#### *De virorum vestibus, corpori damnosis.*

Galeri pellicei (Pelzmützen) tempore hiemis usitati, noxii sunt, sanguinem ad caput adlicientes, praecipue ceteris corporis partibus mediocriter vestitis, congestionem, apoplexiam, in iis, qui in hunc morbum dispositi sunt, inflammationem oculorum, odontalgiam, ut brevi dicam, morbos quoscunque a congestionem sanguinis oriundos pariunt. Quo pertinent etiam tegumenta e pilis (Perüquen), quorum vis nocens saepissime materiam morbosam, quae comis alienis interdum inest, auget.

Pilei nigri solis radios nimium attrahunt, et graviores majori damno sunt.

Non solum inter milites, sed etiam inter alios homines mos obtinuit, collum fascia cingendi. Quos ritus non solum incommodos, sed etiam admodum damnosos esse apparet; impeditur enim sanguinis refluxus; congestiones, vel adeo apoplexia in hominibus robustis et plethoricis efficiuntur, praecipue in iis, quorum negotia poscunt, ut multum sedeant, quippe cum eorum caput pronum sese inclinet, quod malum spirituosorum usu augeri potest. Multo melior liber colli vestitus est, nisi aliae causae, ut struma, fascias desiderent.

Nostris temporibus in multis Germaniae partibus juvenus virilis vestes mulierum imitari coepit, perditorum temporum magis, quam morum meliorum testes. Quae imitatio consistit in gerundis strophis, ut vestimenta ipsa stricta et angusta appareant, formosaque corpus utatur forma. Quantopere hic a naturae fine aberratur, cum vir liber non lignae figurae instar apparere debet; senes, sed sero poenitet juvenilis et levis ambitionis. Qui morbi strophis gignantur, supra in sect. I demonstravi.



Femoralia nimis angusta multis modis morbos efficiunt; non solum sanguinis circulationem et nervos impediunt, sed et systema musculorum iis ipsis afficitur. Desinit libera motio, et sensim major rigiditas apparet, in artubus in anchylosin quandam sese mutans, et juvenem seni rigido similem efficiens. Ratione sanguinis braccæ breviores, sup̄ter genu adligatae, magni sunt momenti, affluxum sanguinis periscelidum modo impediētes atque aneurisimata gignentēs.

Una cum femoralibus angustis conjunctae esse solent fasciæ braccarum (Hosenträger) quae, ut illa elegantem prae se ferant speciem, valde intenduntur. Quibus prementibus homines thoracem prorsum proclinare assuescunt, quo pectus introrsum et dorsum extrorsum flectitur. Sic oritur gibbositas, simulque asthma et dolor pectoris etc. Quodsi fasciis braccarum uti velis, ut femoralia sustineantur, solutas, quantum fieri potest, elasticas, et nec in antica parte, nec a tergo crucis instar esse oportet.

Femoralia angusta insuper super umbilico nunquam non fibulari solent, ut vel illa sine fasciis sustineantur, vel formosior corpori forma detur; quo vero omnia abdominis viscera superne de-

pri-

primuntur, res non solum digestioni noxia, sed saepissime etiam herniam gignunt. Qui vestitus omnium maxime pueris damnosus est, quorum corpus nondum ad maturitatem pervenit, quorum annulus abdominalis vix fere clausus, ita ut viscera, minima vi facta, facillime testes per vix clausum annulum sequantur. Quodsi huic rei accedat causa occasionalis e. c. flexus quidam retrorsum factus, lapsus, plaga etc herniam continuo oriri non mirum sane est; quam eandem ob causam in hominibus inferioris ordinis maximos labores fibulatis femoralibus conficientes saepissime conspicimus.

### *Sectio IV.*

#### *De noxio utriusque generis habitu.*

Huc pertinet, quod supra de calceis dictum est.

Indusia lintea corpori haud salubria sunt, vi electrica carent; atque e corpore calorem et transpirationem eliciunt, sed nullo modo volatilem reddunt; quae cum atmosphaera facillime penetrare possit, transpirationem procedentem mutat in aquam, quam sudorem dicimus, quem indusia

lintea fugiunt, neque vero volatilem reddunt, res corpori admodum damnosa, sudore frigescente, vel parte ejus a corpore iterum insucta; unde rheumatismi et catarrhi oriuntur. Linteis multo meliora sunt indusia ex erioxylo confecta, quae sudorem fugiunt eumque volatilem reddunt.

Idem vel majus damnum nobis adferunt tibialia lintea, cum pedes, continuo sudori dispositi, damnosis materiebus excernendis sunt occupati, quae si resorbentur, variis morbis occasionem dant, porroque diutius euntium pedes et praesertim quidem tenuiores valde premunt. Praeferenda sunt igitur iis e gossypio, lanaque parata.

Longa caesarie incedendi mos minime salutaris habendus, magnum enim est incomodum, et transpiratio eo modo valde prohibetur. Infantibus igitur praecipue insalutare est, comatos incedere, cum tanta damnosarum materiarum copia ex eorum corpore excernatur; quibus vero repulsis caput pustulis obducere necesse est, quod in hominibus inferioris ordinis, qui majori semper in immunditie versantur, praecipue nobis occurrere debet. Quo capillorum tegmento praeterea sanguinis in caput congestio adjuvatur; quare fit, ut sexus muliebris capitis doloribus saepissime ve-

xetur, quod tamen tam saepe non in iis reperitur malum, quorum coma soluta pendet, ut aëri aditus permissus sit.

Laxae et amplae vestes pueris optimae, nullum corporis partem prementes, maxime enim productio et incrementum in iis est, quae impediri non debent. Admodum noxium igitur est, si infantes tibialibus et calceis induuntur. Infantiae tempore praeterfluxo calcei gestandi sunt, paululum ampliores et longiores pedibus, et vestitus levis esse oportet, nec capitis tegumentum nigrum. Durante corporis incremento amplus et solutus vestitus optimus, nam non solum commodus est, sed et corpus corroborat, quod magis magisque frigidulo coelo assuescens pro ipsa partium suarum libertate agilitatem quandam accipiet. Majorem vero aetatem ingresso homini vestes mediocriter angustae prosunt, calefacientes corpus, calore indigens; nimis arctis vero vestibus membra et artus nimium impestive rigescunt. Vestimentum coelo conveniens esse debet, aestivo tempore non nimium calefaciens, hiemali non admodum refrigerans. Magna et vestimentorum consuetudinis vis est, ita ut feminae, quas debiliores et molliores viris habere solemus, perferendo frigori

magis assueverint, quam viri. Quodsi frigidulis vestibus frigori assuescere velis, non modum excedas, nec repente, sed sensim sensimque facere pergas, repentinam enim vestium mutationem nunquam non morbi gravissimi sequuntur; attamen vir in perferendo frigore feminae praestet. Aestivo tempore corporis vestitus albus atrum praecedit, hoc enim solis radios nimis *attrahente*, *hiemique* aptiore.

---

---

# CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

BEROLINENSIS

A D I E C T U M.

**E**go Christophorus Guilielmus Kaminsky, anno MDCCXCIV Verdae natus, tenerae tantum aetatis annos fui apud parentes meos. A patruo meo, Sundiis habitante, sum receptus. Gymnasium, quod hacce in urbe Ill. D. Furchau moderante floret, frequentavi. Cujus viri ceterorumque virorum doctissimorum, qui huic gymnasio praesunt, opera et studio ad ingenium animumque excolendum eo perveni, ut anno MDCCCXII universitatem literarum Gryphiswaldensem adire potuerim. Praeceptoribus ibi doctissimis illustrissimis gavisus sum hisce: in philosophia Overkamp et Parow, in mathesi physiceque Droysen, in methodologia medica, botanice, chemia tam theoretica quam

practica, mineralogia, pharmacia, materia medica de Weigel, in zoologia Quistorp, in anatomia, in cadaveribus secandis, physiologia Warnekros, in diaetetice Mende, in pathologia generali et in chirurgia de Haselberg. Sesquiennium Gryphiae commoratus Goettingam me contuli, ubi hisce viris Illustrissimis doctissimis praeceptoribus usus sum: in anatomia Hempel et Langenbeck, in chirurgia et in cadaveribus secandis Langenbeck, in pathologia et therapia tam generali quam speciali Himly, in arte obstetricia Osiander. Bello cum Gallis renovato, ad Hannoveranorum exercitum artem medicam exerciturus me contuli. Bello finito, Berolinum conversus, hic praeceptoribus doctissimis illustrissimis garsus sum: in anatomia Knape, Rudolphi et Rosenthal, in pathologia et therapia speciali Horn, in ophthalmatrice Busse, in institutionibus clinicis Hufeland et Horn, in chirurgia et in institutionibus chirurgicis Graefe. Tentamine examineque rigoroso coram gratiosa facultate peractis, nihil impedimenti futurum esse spero, quominus post solemnem dissertationis defensionem Doctoris medicinae et chirurgiae in me conferantur honores.

---

## THESES DEFENDENDAE.

I.

*Dentitio nullius morbi est causa.*

II.

*Inflammationem pleurae ab inflammatione pulmonum durante vita haud dignoscere possumus.*

III.

*Curatio localis scabiei in initio hujus morbi minime nocet.*

IV.

*Tussis convulsiva non est inflammatio.*

---



THESE JOURNAUX

Il est permis de les lire

à la bibliothèque de la ville de Paris

1789

On a vu par ces journaux

1790

que le peuple a le droit de s'assembler